

protectionis, confirmationis, innovationis, concessionis privilegiorum, gratie, indulti ac voluntatis nostre infringere illive temere se opponere. Si quis vero talis, qui contra quid tentare incipiat, inveniatur quique contra personas, res et iura universitatis quidquam violenter cum iniuria vel alias quocunque modo facere et illam in libertatibus et aliis suis  
 5 privilegiis et redditibus percipiendis sive aliis quibuscunque turbare et inquietare audeat, ille sciat, se non tantum utriusque iuris penis obnoxium fore, sed etiam preterea nostram indignationem gravissimam et viginti marcarum auri puri mulctam toties, quoties tale quid fecerit ipso facto sic incursum esse, ut dimidium cesareo nostro fisco et reliquum dimidium offensis, turbatis et aliquid passis irremissibiliter perdere debeat. In horum  
 10 omnium fidem ac consummationem has sigillo nostro iussimus communiri. Data in civitate nostra imperiali Augusta.

*Von derselben Hand ist folgende Notiz hinzugefügt:*

Diese confirmation ist de anno 1548 und hat solche academia drucken lassen.

## 474.

15 *Der Coadjutor Georg von Merseburg empfiehlt der Artistenfakultät den Moritz Mecholt zum Magisterium.*  
**Merseburg, 1548 Jan. 14.**

*Hilschr.: Registrum facult. artium fol. 44.*

Georgius dei gratia princeps in Anhalt et coadiutor in spiritualibus ecclesie Merseburgensis et prepositus Magdeburgensis.

20 Eximiis et doctissimis viris domino decano et magistris facultatis artium in academia Lipsensi, suis dilectis gratiam, misericordiam et pacem a deo patre et domino nostro Iesu Christo.

Presentium lator Mauritius Mecholt sollicitavit a nobis litteras commendaticias, dilecti viri, quibus sui noticiam quantum nobis de ipsius animo erga evangelii doctrinam  
 25 compertum esset testaremur, quod charitatis officium obnixa roganti detrectare nolimus. Is superiori anno nobis a reverendis viris, domino doctore Iena et pie memorie licentiatum Musa honorifice commendatus est. Fatemur ipsum apud nos pro conditione laborantem examini se nostro subiecisse, in quo illum de pura doctrina Christi recte sentire et in  
 30 lectione patrum aliquam operam novasse advertimus. Optamus homini candide confessionis et fidei istius nobis facte constantiam, et cum de suggestu ex mandato nostro semel publice docens specimen quoddam sui profectus edidisse existimaretur, tunc temporis propensi fuimus hominis difficultates sublevare et ipsi vocatione aliqua prospicere, si metus bellici consilium nostrum et hominis fortunam non intervertissent. Itaque cum  
 35 memoratus Mauritius Mecholt ad constitutum honorem ad magisterii gradum tamquam insigne virtutis illud testimonium nostrum plurimum sibi prodesse arbitretur, clementer a vobis petimus ut ipsum officiose complectamini et eam voluntatem pio et modesto viro declaretis ut intelligat, ad honorem suum nostram testificationem aliquid ponderis attu-